I. N. J.

Specimen Theologicum

De

Oculo Simplici

Ad Matth. VI. 22. & Luc. XI. 34.

Quod,

Conſenſu Maxime Vener. Facult. Theol. in Regia Academia Aboënſi,

Præſide

Mag. LAURENTIO O. LEFRÉN,

S. S. Theol. Prof. Reg. & Ord. nec non Eccl. quæ Chriſto in Valle Gratiæ, Reſo & Merimaſko colliguntnr, Paſtore,

Publicæ bonorum cenſuræ ſubjiciet

NICOLAUS GUSTAVUS BRANDER,

Phil. Mag.

Horis ante meridiem ſolitis,

In Auditorio Majori die X. Decembris MDCCXCI.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

Pſ. CXIX. 130.

פתח דבריך יאיר מבין פתיים

Aditus verborum Tuorum ſapientes reddit ſimplices,

2 Cor. I: 12.

Ἡ γὰρ καύχησις ἡμῶν αὕτη ἐστὶ, τὸ μαρτύριον τῆς συνειδήσεως ἡμῶν, ὅτι ἐν ἁπλότητι καὶ εἰλικρινείᾳ θεοῦ οὐκ ἐν σοφίᾳ σαρκικῇ, ἀλλ' ἐν χάριτι θεοῦ ἀνεστράφημεν ἐν τῷ κόσμῳ, περισσοτέρως δὲ πρὸς ὑμᾶς.

Praefatio.

Quæ in Sacris Pandectis occurrunt veritates cœleſtes, eas non ideo litteris conſignandas hominibusque cognoſcendas tradidit Deus optimus maximus, omnium bonorum locupletiſſimus & ſapientiſſimus largitor, ut *moroſis ingeniis* æternam disputandi & *altercandi materiam* præberent, ſed potius eum in finem, ut vice fungerentur *lucernae*, cujus beneficio homines *dociles* veram invenirent *viam*, *qua ad Deum feliciter redire poſſent*, *faſtiditis & repudiatis omnibus tum diaboli praeſtigiis*, *tum peccati illicebris.* Verbum enim Divinum, quod in Sacris Litteris legimus, non tantum *lucendi* ac *ducendi* virtute præditum eſt, ſed tanta etjam *efficacia convincendi* & *convertendi* homines peccatores pollet, ut quotquot ei *moroſa malitia* obicem non ponunt, ii ex infeliciſſimis *diaboli mancipiis* feliciſſimi *Dei liberi fiant.* Ideo vero non ſufficit *ſcire veritates* ſalutares, quod, niſi *convictio* & *converſio* acceſſerint, ſalus non eſſet ſalus. Quæ enim *invitis* obtruduntur beneficia, ea *non beneficia*, ſed *maleficia* habentur. Hæc neceſſaria eſt conſequentia ex inſti-

tutione ipſius naturæ humanæ fluens. Quæ enim prærogativa *libertatis* præditæ ſunt creaturæ, eæ *mori* quam *cogi* malunt. Hinc ſi hominibus *carnalibus*, qui adhuc ex temeraria *peccandi licentia*, neſcio quem, inſanum & *abſurdum jucunditatis ſenſum* percipiunt, *libidini* quam *rationi* obtemperare dulcius putantes, libertas inter ſanctos Angelos & beatas defunctorum animas verſandi concederetur, ſibi non in *cœlo*, ſed in *inferno* habitare viderentur. In *novas* enim *creaturas* prius transformandi ſunt, quam dulcia cœlorum gaudia percipere poſſint. Hunc in finem cum nobis conceſſa ſit Scriptura & nihilo tamen minus & *experientia* quotidiana & priſtinæ temporum *memoriae* diſerte teſtentur, ſemper oppido *paucos* fuiſſe, qui hunc verbi Divini *effectum experti* fuerunt, mirum videri non debet, quod a multis retro ſeculis quæri cœptum ſit, undenam cauſa hujus defectus veriſſime derivari debeat? Hoc verius mirari convenit, quod eam potius in ipſum *Deum* omnis noſtræ *ſalutis cupidiſſimum* conjicere, quam in *ſuo ipſorum ſinu* quærere maluerunt, qui ad quæſtionem reſpondere ſategerunt, verbum Divinum nimiæ accuſantes *obſcuritatis*, cujus quidem criminis ſe nominatim reos fecerunt Doctores Eccleſiæ catholicæ, non quod hoc placitum veritati congruum ſciverunt, ſed quod idoneum judicarunt *fundamentum*, cui infirmum ſuum *commentum* de *infallibilitate Pontificis* ſuperſtruerent. His ſe ſtrenue oppoſuerunt *Theologi Evangelici*, ſolide affirmantes contra-

trarium, *perſpicuam eſſe Scripturam* in iis omnibus, quæ nobis ad ſalutem *ſcitu* & *factu* neceſſaria ſunt. Interea non negant, clara & certa ſcripturæ oracula ſubinde admiſta habere *obſcuriora*, quod etjam *res* ipſa docet. Hæc utrum ita diſpeſci poſſint, ut alia *abſolutae*, alia *relativae* ſtatuantur eſſe obſcuritatis, noſtro quidem judicio, non opus eſt decernere. Si quæ *prioris* ſint *generis*, ea veritates forte continent, quæ *uſum* ſuum aut dudum *exſeruerunt*, aut *poſt hac* demum *exſerent*, adeoque nihil ad nos magnopere pertinent, quod etjam varius ſingulorum ſcopus requirere videtur. Quod ad *genus* attinet *poſterius*, ea alios atque alios habent *gradus obſcuritatis*, prout alia atque alia fuerit *conditio* Lectorum, ratione *facultatis* aut *voluntatis*, perſpiciendi ſenſum. Hinc fieri omnino poteſt, ut quod *ſimpliciſſimus* Scripturæ Lector intelligit, id interdum *perſpicaciſſimus* non intelligat, adeo ut *fruſtratio effectus*, quem ex lectione Sacrarum Litterarum exſpectare poſſemus, non aliunde, quam ex malo lectorum oculo repeti debeat. Atque hæc vera eſt cauſſa, cur Salvator ſapientiſſimus ad *perſpicientiam* veritatis, quam ſtupendis *miraculis* demonſtraverat, nihil aliud requiri adſereret, quam OCULUM SIMPLICEM, qui verum *directe* intueatur nullo *præjudiciorum* faſcino prævelatus, quemadmodum ipſe diſerte docet Matth. VI: 22. & Luc. XI: 34. Hæc duo oracula, pro diverſa ratione *contextus*, in quo occurrunt, veram tradunt *methodum*, qua ad u-

tramque Theologiæ partem, *Theoreticam* & *Practicam*, ſit incumbendum, docentium officium eſſe oſtendentia, non *nodoſis* quæſtionibus & *argutis* disputationibus ad vanam *ingenii oſtentationem* graſſari, ſed ad verum *animi emendationem* non minori *prudentia* quam *diligentia* adſpirare, naturalem Scripturæ *ſimplicitatem*, ab omnibus tum *ſubtilitatum praeſtigiis* tum *curioſitatum illicebris* alienam, inculcando. Nos igitur cum Specimen quoddam Academicum dare decreviſſemus, ex quo conſtare poſſet, qua diligentia atque prudentia ad ſtudium incubuiſſemus Theologicum, ex his oraculis argumentum ſumere conſtituimus, illam ipſam, quam in utroque laudatam vidimus, oculi *ſimplicitatem* quam *ſimpliciſſime* delineaturi, omnibus opellæ noſtræ lectoribus, quo decet verborum honore, rogatis, ut eam non niſi *ſimplici* adſpiciant *oculo* omnia, quoad ejus fieri poteſt, in meliorem partem interpretante.

§. I.

Priusquam mentem verborum Salvatoris, quam indagare conſtituimus, rite conemur explicare, *Textum* eorum *Graecum* deſcripſiſſe juvabit. Sic igitur hic in utroque loco habet: Ὁ λύχνος τῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός· ἐὰν ἦν ὁ ὀφθαλμός σε ἁπλῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σε φωτεινὸν ἔσαι. Ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σε σκοτεινὸν ἔσαι. Εἰ ἦν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐσὶ, τὸ σκότος πόσον. h. e. *lucerna corporis eſt*

ocu-

oculus: Si igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: Si vero oculus tuus malus fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit, Si igitur Lux quae in te eſt, tenebrae fuerit, quantae tenebrae erunt? Quum vel *tironibus artis hermeneuticae* notum ſit, verum Sacrarum Litterarum *ſenſum*, non ſemper ex ſolis *verbis* pendere, ſed ſæpius uſu venire, ut ambigua & incerta maneat interpretatio verborum, donec ex ipſo dicentis *ſcopo* & reliqua textus *cohaerentia* rite determinata fuerint, noſtrum jam officium erit verum oraculorum noſtrorum *ſcopum inveſtigare.* Cumque in utroque loco, Mathæi & Lucæ, ubi hæc verba leguntur, alius atque alius inveniatur *contextus*, de utroque ſeorſim quærere neceſſe habemus. Incipiamus igitur a loco Lucæ, ubi *quaeſtio* magis *Theorethica* occurrere reperitur. Hæc eſt: *an* JESUS *ſit* CHRISTUS? ſeu ut clarius dicam: *an* JESUS NAZARENUS, *qui integerrima vitae innocentia, eximia doctrina & ſtupendis miraculis tantam nominis celebritatem ſibi comparaverat, ut nemo homo eum aequiparare poſſet, vere eſſet ille ipſe* REX, *Meſſiam* vocant Judæi, *quem vetuſta Hebraeorum oracula aliquando venturum, ipſosque liberaturum eſſe, cecinerant?* Qui maximas hominis prærogativas, quarum nuper fecimus mentionem, *ſimpliciter* intuebantur, nullum reſpicientes *intereſſe privatum*, cur aliud *ſentirent*, quam *videbant*, ii ſine omni dubitatione aut hæſitatione ſuum calculum addebant confeſſioni Petri: *Tu es* CHRISTUS *ipſe filius Dei viventis* Math. XVI: 16.

Joh. VI: 69. aut ſibi ſaltem perſvadebant, eum eſſe *virum* aliquem *magnum* ex mortuis reſuſcitatum, utpote *Johannem Baptiſtam*, *Eliam*, *Jeremiam* aut alium quemcunque veterum Prophetarum Math. XVI: 14. Qui vero ſe cæteris videri volebant ſapientiores, & nominatim *Phariſaei*, ii eo progrediebantur *inſaniae*, ut quem ob *vitam* ſanctiſſimam, *doctrinam* excellentiſſimam & *miracula* æque beneficentiſſima ac magnificentiſſima, ad minimum, pro *homine optimo*, *doctore maximo* & *Legato Dei veriſſimo* agnoſcere debuiſſent, intimo conſcientiæ teſtimonio convicti, eum non verecundarentur, præter omnem veri ſpeciem, nullius non *vitii* & *probri* inſimulare, quippe quem omnia miracula, quæ patrabat, non *Divinae potentiae*, ſed *impoſturae diabolicae* debere mentiebantur, fingentes eum *ſcholam* frequentaſſe *archidiaboli*, ab eoque *artificia* didiciſſe *magica*, quibus adjutus ſua omnia, quæ mira videbantur, præſtare poſſet. Has *calumnias* Salvatori Sapientiſſimo non difficile erat retundere, quod & veriſſime fecit monendo, *abſurdum eſſe dictu*, *diabolum ſuum ipſius regnum velle deſtruere*, & ſumma ſe injuria affici, cum facultatem ejiciendi dænomia, non ex *digito divino*, ſed ex *veneficiis diabolicis* repetitum irent, quandoquidem eo ipſo *ſuos diſcipulos*, quos hac poteſtate inſtructos gloriabantur, non poterant non ejusdem criminis accuſare. Hinc tantum abeſſe contentebat SALVATOR *ſanctiſſimus*, ut ipſum *magiae* reum facere poſſent, ut potius omnes eorum accuſatio-

tiones originem deberent *malo* eorum *oculo*, qui rectiora cernere non volebat, funeſto *praejudiciorum faſcino* morſus. Sed equod, inquies, genus erat *praejudiciorum*, quod Judæos usque adeo occæcare potuerat, ut ne ipſam quidem *lucem* cernere poſſent?

Nullum id aliud erat, quam *cruentum odium*, quo Judæi Jeſum perſequebantur, ex quo ejus dicta & facta non respondere cognoverant ideæ venturi Meſſiæ, quam illi ſibi formaverant falſam. Hujus autem erroris hæc erat ratio: Judæi Romanis obnoxii iniquo animo ferentes grave illud *jugum*, quod ſibi ab his impoſitum eſſe ſentiebant, omnes cogitationes eo conferebant, ut *amiſſum libertatis Theſaurum* recuperarent. Cumque ex *Libris* eorum *Sacris* intellexiſſent, ex ſua gente naſciturum aliquando REGEM, qui *imperio in omnes gentes potitus ſine fine eſſet regnaturus*, talem ſibi *opinionem* de hoc *Rege* ejusque *regno* concipiebant, qualem *ratio ſtatus* eorum externi inpræſentiarum poſtulare videbatur. Cumque Jeſus Nazarenus, qui ſe pro rege Judæorum gerere videbatur, & ſubinde ab inſiceta plebecula pro *Meſſia* venturo agnoſcebatur, talem tueretur *characterem*, qualem *divina oracula deſcripſerant*, non qualem Judæi ad normam ſuæ neceſſitatis *finxerant*, eo progrediebantur *inſaniae*, ut *rationi nuncium mittere*, quam nominatum opinionis *monſtrum* ex oculis & animis ejicere mallent. Hoc vero ut facerent omnium minime a ſe impetrare poterant *Phariſæi*, quorum *odium* Jeſus ideo omnium

um experiebatur crudeliſſimum, quod pro eo, quo utebatur, *oculo omnium ſimpliciſſimo* non poterat non album albi & nigrum nigri nomine inſignire, ob eamque cauſſam inanem *pietatis ſpeciem*, quam audaciſſimis *criminibus* & immaniſſimis *ſceleribus* prætendere ſolebant, *veris* & *vivis* depingere *coloribus*. Hinc *malus* eorum *oculus*, hinc omnia, quæ is fingere poterat *ſpectra*, quibus rudem plebem, quoties lubebat in terrorem atque furorem conjicere ſciebant.

§. II.

His præmiſſis ad allatum Salvatoris oraculum redire volumus, quid illud in *receſſu* habeat, paulo diſtinctius viſuri. Salvator optimus maximus nullam unquam *ſcholam* frequentaverat, nullum *eloquentiae Magiſtrum* audiverat, & nulla *dicendi artificia* privato ſtudio excogitaverat. Quoties loquebatur ex tempore loquebatur. Nihilo tamen minus in Ipſius ſermonibus haud raro tanta elucet *facundia*, ut nec *fulgura* Ciceronis nec *fulmina* Demoſthenis, eam æquare poſſint. Non eodem ſemper utitur charactere, ſermonis, quippe qui loquitur ὡς ἐξουσίαν ἔχων Math. VII: 29. Marci I: 22 ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ Luc. IV: 32. Quare etjam hic erat *effectus* ſermonis, καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ Luc. l. c. Math. l. c. In omnibus, quæ aut *dixit* aut *fecit*, verus cernitur LEGATUS *Patris* cœleſtis, cujus perſonam ſemper digne

gne tuetur. Non vacat adferre exempla ſermonum, in quibus, pro ratione circumſtantiarum, aut auguſta *Majeſtas*, aut veneranda *gravitas*, aut concinna *brevitas* ſui certiſſima reliquit veſtigia. In præſenti autem oraculo quid magis admirer, neſcio, *pondusne gravitatis*, an *decus brevitatis*. Si litteram ſpectes, de *oculo corporis*, ſi cohærentiam, de *oculo mentis* ſermonem fieri putabis. Mihi vero perſvaſum habeo, utrumque conjungendum eſſe. In hoc enim oraculo ineſt *ſententia comparativa*, cujus altera pars *expreſſa*, altera *ſubintellecta* eſt. Utraque explicite poſita ſic haberet: *Sicut oculus eſt lucerna corporis, ita mens eſt lucerna animae. Sicut, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum eſt, ita ſi mens tua ſimplex fuerit, tota anima tua ſimplex eſt.* &c. Nullum *guſtum* gravioris orationis habeat, neceſſe eſt, qui non illico ſentiat, quanto plus *emphaſeos* inſit in illo *nervoſo* dicendi genere, quo Salvator in textu uſus eſt, quam in hoc *verboſo*, quod nos, altero membro comparationis ſuppleto, expreſſimus. Sed hoc quaſi in transcurſu obſervaſſe ſufficiat. Nunc ad ipſam progredimur *quaeſtionem principalem*, in qua cardo totius opellæ noſtræ vertitur, quid ſcilicet Salvator ſapientiſſimus, vocibus OCULI & SIMPLICIS præciſe intellectum voluerit. Nomine *oculi* facultatem *mentis* indigitari, modo obſervatam, illam puta, cujus beneficio anima noſtra illis tribus fungitur actibus, qui Logicis dici ſveverunt *ſimplex rei apprehenſio, judicium & ratiocinatio*. In ſin-

 gulis

gulis haud facile dictu eſt, quantum in recta veritatis tum *perceptione* tum *applicatione* proficiamus, ſi *oculo ſimplici* ſemper uti poſſimus & velimus. Sed quid, inquis, ſibi vult prædicatum *oculi ſimplicis*, ſeu ἁπλοῦς, ut textus græcus habet? Plerisque *ſimplex* idem dicit quod *ſanus*, ſed minus adcurate. Ad *ſanitatem* oculi pertinere *ſimplicitatem*, non negamus, ſed hoc ſimul monendum, hac voce non tam *conſtitutionem*, quam *applicationem* oculi ſani indigitari. Brevius: *uſum* non *ſtatum* ſignat, niſi in quantum ille hunc ſupponit. Simplex dicitur, in quo *unitas* & *veritas* ineſt, ſeu quod non ſit aliis atque aliis auctum *plicis*, in quibus aliquid lateat alieni, quod ad *unam* & *veram* rei notionem non pertinet. Hoc igitur ſenſu *ſimplex* id eſt, quod ita *unum & verum eſt, ut ex aliis neque conflatum, neque commiſtum reperiatur.* Sic *phyſice ſimplex* tum dicitur v. gr. moneta aurea, cum, quanta quanta eſt, ex puro & ſolo conſtat auro, ne tantillam quidem particulam alius metalli admixtam habens. *Logice* autem, ubi ſermo eſt de operationibus *mentis*, tum *ſimplex* dicitur *oculus mentis*, ratione primæ operationis, quæ in actu *percipiendi* verſatur, cum illa ipſa rei *imago*, quæ in *mente* ineſt, coincidit cum re ipſa, quæ extra mentem eſt, idque perfecte & ratione *quantitatis* & ratione *qualitatis.* Quomodo in reliquis *mentis operationibus* locum habeat *ſimplicitas*, dninceps, ſi occaſio tulerit, monebimus. Hic ad primam tantisper adtendimus, & quidem ratione *uſus*, quem hæc potis-

tiſſimum in ipſa præſtat *Theologia*. Quod priusquam faciamus, verbo tangere liceat illam *ſimplicitatis notionem*, quæ tum locum habet, cum de *qualitate ſermonis* quæſtio eſt. *Sermo ſimplex* dicitur, qui nimiam *artis* limaturam & polituram non eſt expertus, ſed propius ad *naturalem* loquendi facultatem, quam nimium *artis ſtudium* non luxavit, accedere reperitur, nuncio mature miſſo omni *adfectationis* generi, quod plus *ſubtilitatis* quam *ſoliditatis* habet & ideo non tam *uſui vitae*, quam *luſui ſcholae* inſervit. Non tamen ideo committendum, ut quod *ſimplex* habebitur *genus loquendi*, id ex *ſtupiditate* aut *ſtoliditate* aliquid *inepti coloris* aut inſulſi *ſaporis* trahat. Hoc enim non magis neceſſe eſt, quam ut verum dicere nequeas, niſi id egeris, ut quidquid dixeris *luminibus* eluceat oratoriis, aut quod æque abſonum eſt, *definitionibus* logicis & *demonſtrationibus* mathematicis luxuriet. Sed illuc revertar.

§. III.

Verſamur etjamnum in quæſtione de *meritis oculi ſimplicis* in prima mentis operatione, quæ in *notionibus* rerum formandis occupatur. Has artificio definiendi ſæpiſſime determinant Mathematici, quorum morem hodie multi tum Philoſophi tum Theologi æmulari ſolent. Utrum hoc Theologiæ *obſit*, an *proſit*, nunc non definio. Hoc unum non poſſum non mo-

nere, nimium *definiendi pruritum* naturali *ſimplicitati*, quam Theologia Chriſtiana amat, plus detrimenti quam emolumenti adferre. Sacræ Litteræ nihil *Logico artificio* definiunt. Quid igitur? Num ideo *obſcura* aut *confuſa* ſunt omnia, quæ in iis traduntur, dogmata? Hoc affirmaturum putaverim neminem, niſi qui ea *malo* intueatur *oculo*. Philoſophi & Mathematici, qui ad nauſeam usque definiunt & demonſtrant ipſi, quidquid tamen lucis tanto molimine ſuis adferunt ſcriptis, id non *ſolaris*, ſed *lunaris* imitatur naturam *luminis*. Frigidius quam calidius eſt. Lucet, non ardet. Sacræ Litteræ contra nihil propemodum neque *definiunt*, neque *demonſtrant*, & nihilo tamen minus *oculo ſimplici* tam *perſpicue* & *diſtincte perſpici* poſſunt, quæ in iis traduntur *veritates*, ut qui eas ad *uſum traducunt* toti *ardeant*. Hujusmodi perceptioni non obſtat, quod Sacra Pagina quam maxime *figurato orationis genere* paſſim utatur, *Metaphoris*, *Metonymiis*, *Synecdochis*, aliisque *ornamentis* oratoriis ſplendens illuſtriſſimis. Ipſe SALVATOR *ſapientiſſimus*, ſi quis alius, his *luminibus* & frequentiſſimis & ſplendidiſſimis utitur, & nihilo tamen minus his percipiendis ſufficit *oculus vere ſimplex*, in *unum verum* ſapienter intentus. Ipſum vulgus *figurate* ſæpius loquitur. Nec aliunde, quam ex *uſu communi*, originem habuerunt *artificia oratoria*, quæ ſucceſſu temporis perfectius inculcari cœpta ſunt, & hodienum in tantum vera & bona habentur, in quantum *non offendunt oculum ſimpli-*

plicem, qui cum per ſe capax ſit *veritatis*, uſum *perſpicillorum arte fabricatorum* non indiget. Sic cum Salvator dicit, oculum eſſe *lucernam corporis*, figurate quidem loquitur, nihilo tamen minus vel pueris patet ſenſus. Pari modo cum uſu oculi ſimplicis *totum corpus lucidum fieri* adfirmat, valde ſtupidus ſit oportet, qui non illico intelligat, ſenſum eſſe, *omnia corporis membra ſine offendiculo & impedimento quod ſuum eſt, feliciter facere poſſe.* Quid *oculus malus* Salvatori ſignificet, ex *oppoſito* haud obſcure intelligitur, eum nempe, qui cum *recta* ad unum verum adtendere debeat, MALO motus ANIMO *transverſa* tuetur, *plura falſa* percipiens.

Hoc poſterius imputat S. Paulus gentilibus, cum ſcribit: ὅιτινες μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τῦ θεῦ ἐν τῷ ψεύδει, *qui mutarunt veritatem Dei per mendacium* Rom. I: 25. Nomine ἀληθείας intelligit *unam veram Dei notionem*, *quae omnia Dei attributa*, *infinitam bonitatem*, *juſtitiam*, *ſapientiam* &c. complectitur. Nomine *mendacii* inſignit *falſam*, eamque *variam Dei notionem*, qua Eum ſibi repræſentarunt, nunc ut *hominem*, nunc ut *bovem*, nunc ut *avem*, nunc ut *piſcem*, nunc ut *vermem* &c. Quum nomen ἀληθείας θεῦ cogito, in mentem mihi veniunt verba Salvatoris, quibus ſe *viam* & *veritatem* & *vitam* eſſe dixit Joh. XIV: 6. Hoc effato nihil *granditate* præſtantius, nihil *ſublimitate* illuſtrius, nihil *majeſtate* excellentius dici potuit, nihilo tamen minus *oculo ſimplici* perſpici poteſt, quæ in iis latet,

profundiſſima *ſignificantia.* Locutus fuerat Salvator in antecedentibus de ſuo *abitu ad patrem.* Hoc multi nimis tenuiter exponunt, cum mortem ſimpliciter intelligunt, quamvis genus mortis non diſſimulent. *Finis* abitus omnium minime *reticeri* debet. Is erat ut ſuis apud patrem *pararet locum*, iisque *aditum* ad Eum *aperiret.* Hic plus videt *oculus ſimplex*, quam duplex. Aliud eſt *venire ad* DEUM ut JUDICEM *condemnantem*, *aliud venire ad Eum ut* PATREM *benedicentem.* In hujusmodi igitur locis vox *Patris* graviſſimo *accentu* eſt pronuncianda. *Securi* jacent ubi jacent, neque ad JUDICEM, neque ad *Patrem* venire volentes, EXCITATI ad *judicem*, REGENITI ad *Patrem* veniunt. Ut hi hoc facere poſſint neceſſe eſt, ut Salvator ipſis ſit *veritas* ἀλήθεια h. e. ut iis *veritatem manifeſtet.* Quænam illa veritas eſt? *una vera notio Dei*, *quam in Paradiſo mendacio Diaboli amiſimus*, *quaque per Chriſtum reſtituta*, *Deum non amplius ut ſuperbia*, *invidia & injuſtitia oppletum* TYRANNUM, *qualem Pater Mendacii Eum Protoplaſtis repraeſentabat*, *ſed ut* PATREM, *qui totus favor eſt*, *totus amor*, *ex animo paterno infinitas gratiae divitias promens*, *offerens*, *largiens*, *idque propter Chriſtum filium ſuum unigenitum*, *qui & vita eſt*, *quod valet cauſſam vitae*, quo nomine infinitus intelligitur *Theſaurus felicitatis*, quo illo ipſo augemur momento, quo *culpam* noſtram *ſangvine Chriſti deletam*, *amiſſam Dei gratiam nobis reſtitutam & nos novas creaturas factos eſſe*, *certo certius credimus & ſentimus.*

§. IV.

§. IV.

Plura dicere non vacat de negotio *oculi ſimplicis* in *prima* mentis operatione, quare mox ad *ſecundam* pergimus, paucis viſuri, quid idem in *judiciis formandis* præſtet. Ex quo *ſubjecti* & *praedicati* ſeorſim veram notionem vidit oculus ſimplex, haud obſcure videt, utrum hæc *conjungi*, an *ſeparari* debeant. Præcipuum igitur munus, quo in hoc negotio fungitur, eo redit, ut *fallacias* detegat, quas prava *philautia* fabricatur, cum nobis *imponit*, *ut ii videri nolimus*, qui *ſumus*. Hæc Phariſæis obſtabat, quominus de perſona Chriſti vere judicare poſſent. In Sacris Litteris multa & varia occurrunt vocabula, quorum notiones ex *uſu eorum in vita* communi non pendent, qualia ſunt, quæ *nove inventa* fuerunt a Sacris Scriptoribus ad ſignificandas *mutationes animi*, quas homines peccatores in *via converſionis* ſubeunt. Hæc non magis quam cetera definitionibus determinat Scriptura, ſed ſemper eas ſupponit notiones, quas unus quisque ſive *doctus* ſive *indoctus* fuerit, in ſe *ipſe intueri* poteſt, ſimulac in illum venerit *ſtatum*, quem quodque, horum vocabulorum deſignat. In his igitur *nunquam decipi*, rectius optatur quam ſperatur, niſi *oculo* vere *ſimplici* aucti ſimus, eoque fideliter utamur. Quid de iis dicendum, qui ſibi determinandum ſumunt vocabulum, cujus notionem in ſe ipſi intueri nequeunt, quod nunquam experti fuerunt id, quod voca-

vocabulum ſignificat, non admodum difficile videtur intellectu. Aut enim *nihil certi* habebunt, quod dicant, aut *temere in verba magiſtri jurare* neceſſe illis erit. In utroque caſu opinione ſæpius errabunt. Undenam enim ſcient, num nihil eorum, quæ notionem vocabuli ingrediuntur, neque *adjecerint*, neque *detraxerint*? Hinc igitur de *Theologea irregenitorum* quid ſentiendum ſit, facile perſpicit, qui *oculo ſimplici* utitur. Veriſſime judicas, ſi Theologum irregenitum neque *ſemper*, neque *nunquam* errare dixeris. In iis vero frequentiſſime decipitur, in quibus, ſi recte judicaverit, ſe ipſe *condemnat*, cum ex indole pravæ philautiæ ſemper in periculo verſetur de ſuo ipſius ſtatu *melius quam verius ſentiendi*. Qui hujusmodi ſunt, ii ſuum aliquod ſolenne ſervant, cum quidquid *boni* in ſe ſibi invenire videntur, *augent*, quidquid vero *mali* obſervant, *extenuant*. Verbo: non judicant *ſimpliciter* ſed *dupliciter*, non bonum *mere bonum* & malum *mere malum* eſſe arbitrantur, adeoque non *unum* illud *verum*, quod *ſimplex oculus* videt, intuentur, ſed abſurdam aliquam *mixturam*, *ex bono & malo* conflatam, quam non oculo duplici utentes vident, ſed fingunt. Vexatiſſima eſt quæſtio, num Sanctus Paulus ſuum ipſius ſtatum, in quo tanquam perfecte regenitus Chriſtique Apoſtolus verſabatur, tum deſcribit, cum ſe neque quæ *vellet*, *facere*, neque quæ *nollet*, *omittere dicit* ſed ita ſe peccato obnoxium fatetur, ut ſuam ipſius conditionem, non aliam, quam *venundati mancipii* eſſe, agno-

agnoſcat. Ad hanc alios negando alios affirmando respondere, notiſſimum eſt. Abſit, ut omnes, qui adfirmant, in numerum irregenitorum ſtatim relatos velimus. Scio enim plerosque, id non aliam ob cauſam facere, quam quod nimia *litterae perſpicuitate* eo ſe adductos eſſe ſentiant, aliud facturi, niſi veriti fuiſſent, ne vim verbis Apoſtoli inferre viderentur. Sed omnis *ille* metus ſtatim evaneſcet, ſimulac didicerint, Paulum ſæpius ſolitum eſſe *figura* uti, quam συσχηματισμὸν vocant, eumque hoc loco idem feciſſe, conſtare arbitramur ex poteſtate vocabulorum αὐτὸς ἐγὼ, quippe quæ valent: *ego ſolus*, nullo alius auxilio ſuffultus, & quod maximum trahit momentum, de regenitis, ſi ſecus eſſet, talia prædicarentur, qualia vix quisquam defendere poſſet, niſi ipſam *regenitorum naturam* mutare et aliis apertiſſimis Scripturæ effatis dicam ſcribere ſuſtineret. Sanctus enim Johannes rotunde ſcribit, ideo Salvatorem adveniſſe, ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ 1. Ep. III. 5. Quisquis igitur hanc propoſitionem oculo intuetur ſimplici, ita ut non ſimul quærat, qualem verborum interpretationem *ſuus ipſius ſtatus* aut *admittat*, aut *non admittat*, is certe ita eam non limitat, ut ſolam *deletionem culpae*, aut ſolam *ablationem pœnae* intelligat, ſed eam ſimpliciter ita ſumit, ut legit, ipſum peccatum, una cum omnibus ſuis conſequentiis, ablatum iri, adeo ut dominium peccati non in *tantum* ſed in *totum* ceſſet, ſimulac *beatus* ille *ſtatus* animi, qui formula ἐν αὐτῷ

εἶναι, *in ipſo eſſe* I Joh. II: 5. exprimitur, initium capit, & tamdiu exulat, quamdiu locum habet quod altera formula: ἐν αὐτῷ μένειν v. 6. indigitatur. Qui *oculo ſimplici* has legit formulas is veram videt cauſam, cur quis nomine Chriſtiani venire debeat, quæ alia non eſt, quam quod *homo cum Chriſto vere unitus* ex eo, haud alitur ac *palmes* ex *viti* Joh. XV: 1. ſqq. ſuccum trahit vivificum, cujus effectus eſt tum *voluntas* tum *facultas* ſimpliciter *ſobriam, juſtam piamque vitam in hoc mundo agendi* Tit. II: 12. Quotquot enim Chriſtum vera & viva recipiunt fide, eis dat ἐξουσίαν τέκνα θεῦ γενέσθαι Joh. I: 12. θείας κοινωνοὶ φύσεως 2 Pet. 1. 4. Quorſum hæc valeant, facile perſpicit *oculus ſimplex*, cum hæc ſancti Johannis effata contemplatur: πᾶς ὁ ἐν αὐτῷ μένων i. e. χριστῷ, οὐχ ἁμαρτάνει. Πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ. Item hoc: ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί I. Joh. III: 6, 8, 9. Quid? quod idem ſanctus Apoſtolus adſerere non dubitet, fieri non poſſe, ut peccatis indulgeant qui Chriſto vere uniti ſunt, his uſus verbis: οὐ δύνανται ἁμαρτάνειν, ὅτι ἐκ τοῦ θεοῦ γεγέννηται I. c. v. 8. Johanni præivit ipſe Salvator, Cujus hæc ſunt verba: οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν κ. τ. λ. Matth. VII: v. 18. Qui ſuum ipſorum ſtatum ad hanc normam exigunt, iis ſæpe accidit, ut cum omnia contraria in ſe ipſi videant, *oculo duplici*, quem πονηρὸν ὀφθαλμὸν, *malum oculum*, appellat Salvator, uti incipiant, id agentes, ut ſibi vere Chriſtiani videantur,

quam-

quamvis vera *criteria verorum Chriſtianorum* in ſe inveniant nulla. His imperat *prava philautia*, ut cum ſtatum Chriſtiani definire velint, tam *vagam* & *latam* fingant *deſcriptionem*, ut *vetus adamus* in eam ingredi poſſit totus. Interea hi tantundem faciunt, ac ſi quis, hominem naturalem definiturus, creaturam *lepra*, *podagra*, *cholica*, aliisque *morbis* laborantem deſcriberet. Hæ enim noxæ non ad *nataralem*, ſed *praeternaturalem* hominis ſtatum pertinent. Nihilo tamen minus certo certius eſt, *fieri poſſe*, ut a vero & bono deficiant Chriſtiani. Sed fieri quoque poteſt, ut in *veritate* & *bonitate perſiſtant*, *multum fructum* facientes. Joh. XV: 2. Sin minus, abſurdum eſſet monitum: μένατε ἐν ἀυτῷ, quod ſanctus Johannes iterum iterumque inculcat. Sæpe, proh dolor, uſu venit, ut alii atque alii ſociorum tori fœdus matrimoniale frangant, ſed quis ideo conjugium definiverit per conjunctionem aut caſti mariti cum adultera, aut caſtæ maritæ cum adultero?

§. V.

Hactenus de negotio oculi ſimplicis in *judiciis intuitivis* egimus. Nunc de *judiciis diſcurſivis*, quæ Logicis etjam *ratiocinia* dicuntur, paucis agendum. Harum duo ſunt genera, quorum alterum ex *conſequentiis immediatis*, alterum ex multis & variis *conſequentiarum conſequentiis* conſtat. Utrumque genus

hoc modo examinat *oculus ſimplex*, ut ſeorſim diſpiciat, num quid falſi aut in *notionibus*, aut in *connexionibus* ſubjectorum ac prædicatorum lateat. Quum omnia, quæ nobis ad ſalutem *ſcitu* & *factu* neceſſaria ſunt, *claris verbis* in Sacra Pagina adpareant, jure dubitari poſſe videtur, an non in vitiis poni debeant ratiocinia, quæ tam longe protenduntur, ut ultra horizontem *oculi ſimplicis* progrediantur. In Sacris certe Litteris id ſolum genus locum invenit, quod in conſequentiis verſatur immediatis. Forſitan & his ipſis nobis factum eſt otium, ut etjam iis ſuperſedere poſſimus. Non equidem ignoro in Theologia paſſim moveri quæſtiones, ad quas ipſis Scripturæ verbis, absque ullis ratiociniorum ambagibus, ſufficienter responderi nequeat, ſed has quæſtiones plus vanæ *curioſitatis*, quam veræ *utilitatis* continere ſuſpicor. Mihi certe nulla in mentem venit paulo utilior quæſtio, quam ſolis Scripturæ verbis decidere non liceat. Si eo tandem ſimplicitatis redigi poſſet ſtudium Theologicum, ut qui ad hoc incumbant, luce judiciorum intuitivorum, quæ intra horizontem oculi ſimplicis jacent, contenti eſſe vellent, mihi quidem dubium non eſſet, quin multo & *breviorem* & *certiorem*, haberemus Theologiam, quam quæ a Doctoribus *Angelicis & Seraphicis*, in officina *Scholaſtica* fabricata, ad nos pervenit, et poſt multos & varios *reformatorum labores* non paucas *lacinias* priſtinæ *veſtiturae* etjamnum retinet, quas abſcidiſſe & abjeciſſe juvaret. Sed

cum

cum totam Theologiam ad naturalem ſimplicitatem redigere res optatu, quam obtentu facilior ſit, nunquam forte deficientibus *ſciolis* doctoribus, qui, neſcio quo faſcino occæcati, nihil doctum laudeque dignum putabunt, niſi quod *lucernam* redoleat *ſcholaſticam*, *oculique ſimplicis aciem* nimia *ſubtilitate* fatiget, vehementer vereor, ne genuinis quoque ſtudioſis Theologiæ ſemper quodammodo neceſſe ſit paululum *ultra terminos ſimplicitatis ſapere*, ſi id ſit ſapere, non ſimpliciter neceſſaria diſcere. Interea hoc certum eſt, SALVATOREM *ſapientiſſimum ratiociniis rariſſime uſum eſſe, & ſi quando neceſſe fuit uti, vix ultra immediatas conſequentias veritatum ſimplicium progreſſum fuiſſe.* Sed plura de his commentari non patitur ratio inſtituti, ut ea perſequamur, quæ de *officio oculi ſimplicis in altera parte* præſentis Speciminis, quam *practicam* eſſe volumus, dicenda reſtant, eaque eo diſtinctius exponere queamus.

§. VI.

Ut certum habeamus filum, quod hac in parte Speciminis ſequamur, paulo diligentius adtendiſſe juvabit ad *contextum* ſermonis, in quo laudatum Salvatoris oraculum apud Matheum l. c. legitur. *Quatuor* omnino hic occurrunt *objecta*, in quibus oculi ſimplicis eſt verum a falſo diſcernere, nimirum *Preces*, *Jejunia*, *Divitiae* & *Eleemoſynae*, in quibus ſingulis vehementer juvat *ſolita errorum monſtra* detexiſſe & evi-

evitaſſe. Cumque hæc monſtra partim in *ſermonibus*, partim in *geſtibus*, partim in ipſis *actionibus* graſſari ſoleant, eadem in ſingulis *oculo ſimplici* detegere conabimur. Quum *oculus Dei omnium ſimpliſſimus ſit, & ſimplicem veritatem in omnibus clariſſime perſpiciat*, noſter oculus laudem ſimplicitatis eo rectius tuebitur, quo verius *lucem verbi divini* ſequamur. A *ſimplicitate ſermonis* initium facere volumus. Hic duplici modo ſimplex audit, primum quidem cum ab omni *affectatione grandiloquentiae* & *multiloquentiae* remotus eſt, deinde cum uterque cujusvis *homo*, *exterior* & *interior*, *unum efficit*, ſermone & cogitatione ita conſentientibus, ut nihil neque *ſimulet*, neque *diſſimulet*, quod eo facilius eſt vero & bono Chriſti membo, quo minus hic illis indigeat *artificiis*, πνεῦμα Χριϛῦ ἔχων, *Spiritum Chriſti habens.* Rom. VIII: v. 14. Hoc ſenſu *ſimplex* idem dicit, quod *candidus*, *ſincerus.* Utrumque ſimplicitatis genus Salvator in *precibus Phariſaeorum* deſiderabat, quare ſuos jubet abstinere ab inſana eorum Βαττολογία. Hoc nomine venit proprie *vitium gentilium*, *quo id agebant*, *ut cum aliquem Deorum ſuorum precari vellent*, *omnia conquirerent argumenta*, *quibus eum ad audiendum permoveri poſſe credebant*, *ad morem* Batti *cujusdam*, *qui cum hymnum in honorem Dei alicujus conſcriberet*, *ex multis & variis poëtarum ſcriptis ſollicite collegit omnia epitheta*, *quibus eum ornarant.* Salvator igitur ſapientiſſimus, cum ſui Eum rogaſſent, ut ſe doceret *orare*, hujusmodi

βατ-

βαττολοχίαν, ut *abſurdum* & *inſulſum* ingenii humani *figmentum*, damnabat, ſatis eſſe adfirmans, Deum uno nomine PATRIS *cœleſtis* inſignire, quippe ex quo & *voluntas* & *facultas* exaudiendi conſtaret. PATRIS enim *nomen*, in dialecto Lingvæ Hebrææ, qua Salvator loquens utebatur, *benigniſſimum*, & *epitheton* COELESTIS *potentiſſimum* ſignificat. Hac dulciſſima compellatione ſtatim initio precum ſuos uti jubet Salvator, ut antequam orare incipiant ſpem exauditionis eis faciat certiſſimam. Hoc eſt unum illud verum, quod hac in doctrina videt *oculus ſimplex*. Quod ad ipſam *notionem* vocis *precum* attinet, ea non una omnibus eademque eſt. Quemadmodum enim a centro circuli ad datum punctum in peripheria non niſi una recta linea duci poteſt, curvæ vero innumeræ, ita cujuslibet vocis non niſi una vera eſt notio, falſæ vero multæ & variæ. Sunt qui preces partim pro *lucerna habent*, *quae Deo lumen ad eorum indigentiam cognoſcendam proferat*, partim pro *machina*, *qua Eum ad preces exaudiendas permoveant*. Sed utrumque oppido falſum eſſe, ex clariſſimis & certiſſimis Scripturæ teſtimoniis, ratione ſuffragium ferente, conſtat. Duo loca e. g. adduxiſſe ſufficiat. Ipſe Salvator dicit: οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος ὅτι χρήζετε τούτων ἁπάντων Math. VI: 32. ὃς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι. κ. τ. λ. I Tim. II: 4. Aliam *falſam notionem precum* ſibi formaverant *Phariſaei*, qui egenum precandi negotium in *emtionem venditionem* ſtultiſſime mutaverant, inopes ſuas preces

ces haud aliter æſtimantes ac *numeratam pecuniam*, *qua omnia ſe bona a Deo redimere* poſſe ſomniabant. Quam abſurdum hoc figmentum ſit, vel exinde intelligitur, quod eo valet, ut neque *Deus Deus*, neque *homo homo ſit*. *Deum* alicujus rei *indigum* fingere tantundem eſt, ac *naturam Divinam deſtruere*, & hominem aliquid habentem, quo Deum ſibi devinctum reddat, pariter idem eſt ac *naturam humanam* penitus evertere. Deus enim in ſe & ex ſe infinitus eſt *oceanus realitatum*, cui nihil addi poteſt, ut ditior, nihil demi, ut egenior ſit. *Homo* contra *purum putum eſt nihil*. Quidquid ei vel ineſt, vel adeſt realitatis, id omne Deo ſimpliciter acceptum fert. Interea etjam hodie legio eſt nomen eorum, qui tam enormem errant errorem, quamvis eum plerique non tam *verbis*, quam *factis* prodant. In precibus igitur nihil ineſt, quod ipſi *Deo* aut *obeſſe*, aut *prodeſſe* poteſt, & nihil quod hominem aut *digniorem*, aut *chariorem* efficiat. Deus eſt ἀγάπη, *amor* I. Joh. IV. 16. Cujus ſummum meritum in eo ſitum eſt, quod *per ſe amat*, nulla ratione habita *dignitatis* hominum, quippe quæ locum habere nequit, ubi *omnes ſunt indigni*. Hoc ſibi vult effatum ſancti Jacobi, quo Deum ſua dona omnibus petentibus erogare docet ἁπλῶς *ſimpliciter*, καὶ μὴ ὀνειδίζοντος, *nullo probro cuiquam petentium objecto* Jac. I: 5. Salvator nos monet, ut *inimicos* noſtros & quotquot nos odio habent *ſincero* & *candido* proſequamur *amore*, provocans ad exemplum Patris *noſtri cæleſtis*, qui

qui nemini neque *bono*, neque *malo* invidet *uſuram luminis ſolaris*, & nemini nec *juſto*, nec *injuſto* beneficum *pluviae effectum* denegat. Math, V: 45. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret* &c. Joh. III: 10. *Quis* dedit? *quid* dedit? *cui* dedit? Pari modo Paulus monet, ut *inimicis eſurientibus cibum* & *ſitientibus potum* præbeamus, fore adfirmans, ut ſic nos gerendo *carbones ardentes in capita inimicorum congeramus*, Rom. XII: 20. Per carbones ardentes nihil aliud indigitat, quam *ruborem*, quo inimicus beneficio accepto afficitur, quandoquidem prunæ ſunt *rubrae*.

§. VII.

Ex iis, quæ modo dicta ſunt, haud obſcure patet, *oculum Dei*, qui omnia *ſimpliciſſime* perſpicit & *perfectiſſime* cognoſcit, *nihil in nobis* invenire, quod ſe ad beneficia nobis conferenda movere poſſit. Hinc prono quaſi alveo fluit, quod etjam ſupra verbo monuimus, *nihil noſtris precibus ineſſe, quod Deus aut tanquam* DEBITUM *ſolutum, aut tanquam* TRIBUTUM *collatum* intueri poſſit. Cumque Deus ſapientiſſimus non tantum *preces fundere juſſerit*, ſed eas etjam exaudire dignetur, quoties *verae preces* ſunt, quæ vera animi ſenſa exprimunt, haud exigui momenti *quaeſtio* eſt, *quid tandem ſint preces*. Nihil aliud ſunt, quam *ſignificatio appetentiae certi cujusdam boni, cujus carentiam aequo animo ferre non poſſumus*. Hinc ut preces vere

tales locum habere poſſint, neceſſe eſt, ut certi alicujus boni, aut certorum quorundam bonorum *vera adſit inopia*, & ut hanc *inopiam* nobis *moleſtam* ſentiamus. Quo igitur *plura* & *majora* ſint bona, quibus caremus, & quo *acutior* ſit *ſenſus* moleſtiæ, quam ex eorum privatione percipimus, eo *ardentiores* ſunt *preces*, & quo *major* & *dignior* is ſit, cujus auxilium imploramus, eo quoque *humiliores* evadunt. Tantum igitur abeſt, ut aliis quam ſtultis menteque captis idoneam inſoleſcendi materiam præbere poſſint precationes, etjamſi & frequentiſſimæ & vehementiſſimæ fuerint, ut potius veram *pudoris cauſam* contineant, ad minimum id genus precum, *quo veniam peccatorum & delictorum* precamur. Nam cum hæ, vi eorum quæ modo obſervavimus, nihil aliud in volvant, quam *confeſſionem miſeriae praevaricando contractae*, eodem res recidit, ac ſi is, qui, ditiſſimo patrimonio nequiter decocto, ſe in maximam præcipitaſſet miſeriam, jamque alienum auxilium quotidie neceſſe haberet humillime implorare, in animum induceret inter mendicendum hoc modo prætereuntibus alloqui: *Ecce quantus ego vir ſim, qui cauſam habeam, cur tam frequenter & flebiliter lamenter.* Quum igitur in precibus hominum peccatorum, uti jam ex parte docuimus, nihil *pretii*, nihil *meriti* inſit, quod Deus ut ſibi *proficuum* & *commodum* intueri poſſit, & Sacræ tamen Litteræ iisdem nihilominus rationem adſcribant ſufficientem, cur homines gratiæ divinæ, ſeu gratuitorum Dei beneficiorum, evadant

dant participes, recurrit omnino quæſtio, quæ tandem ratio ſit, *cur tantus effectus iis adſcribatur?* Scire itaque licet, gratiam divinam in Sacris Litteris paſſim locorum deſcribi, ut *dititſimam, excellentiſſimam* & *exuberantiſſimam.* Hoc igitur *flumen in omnes redundat homines*, & quotquot *vacuos* invenit, eos ſuis *implet divitiis.* Tantum vero abeſt, ut omnes inveniat vacuos, ut potius ſinguli natura *pleni ſint improbiſſimis libidinibus* & *turpiſſimis cupiditatibus*, quæ gratiæ divinæ locum non faciunt, eoque minus, quod hæc monſtra non tantum non in malis ponant, ſed in maximis quoque *deliciis* habeant, ex adverſo autem Deum ipſum, & omnia gratiæ munera, quæ eis offert, *diro* proſequantur *odio.* Rom. VII: 7. Jac. IV: 4. Joh. III: 20. VII: 7. XV: 53, 24, 25. I Joh. II: 15. Hominibus igitur carnalibus tantopere amata voluptatum illudia extorquere & odioſas gratiæ divitias obtrudere tantundem eſſet, ac eos duplo infeliciores reddere. Deus igitur pro infinita ſua ſapientia alia eos via ducere decrevit. *Lucerna verbi* ſui eos paulatim *illuminat*, ut bonorum & malorum *diſcrimina* oculo ſimplici videre queant. Hinc oritur ſenſim majus majusque *deſiderium* bonorum & *faſtidium* malorum. Ex hoc deſiderio & faſtidio naturaliter, ut ex igne fumus, naſcitur *optatio* bona optinendi & mala evitandi, quæ pro ratione circumſtantiarum nunc *intra pectoris penetralia* ſe movet, nunc in *verba erumpit.* Atque hoc id eſt, quod *preces* appellari ſolet. Hæ cum nihil aliud ſint, quam precan-

mutuum quoddam *colloquium* cum Deo optimo maximo, hanc habent infiniti pretii commoditatem, ut *quo diutius & ſaepius illi cum hoc converſentur eo arctiori & firmiori amicitiae vinculo conjungantur.* Cumque homo, ut nuper docuimus, *per ſe* purum putum ſit *nihilum*, quod ſingulis momentis *opus habet divitiis gratiae Dei ſuſtentatricis, conſervatricis* & *gubernatricis*, non mirum eſt, quod vera & viva Chriſti membra precantur ἀδιαλείπτως, *indeſinenter*, I Theſ. V: 17. Adeo ut vere dici poſſit, preces eſſe *novae creaturae quaſi reſpirationem.* Hæc non intelligunt, qui falſam ideam precum, neſcio unde, hauſerunt, ad naturam precum referentes circumſtantias, quæ & adeſſe & abeſſe poſſunt, quorſum ipſa quoque verba referre licet. Neque enim Deus opus habet verbis, ut, quid velimus, intelligat. Multo minus reſpicit ad ea omnia, quæ mere *mechanica* ſunt, & ſæpe *mentiuntur preces*, ubi nullum adeſt *deſiderium* obtinendi ea, quæ precans ſe videri vult expetere, qualia ſunt v. gr. *ſitus corporis*, qui alius eſt *ſtantis*, alius *ſedentis*, alius *ambulantis*, alius *cubantis*, item major & minor *intenſio vocis, flexio genuum, complicatio* manuum, variique *oculorum geſtus* & id genus alia, quæ ſæpius forte vanum *Phariſaeiſmum* quam verum *Chriſtianiſmum* arguunt. *Oculus* certe *ſimplex* ad talia non reſpicit, ſed ad *unum verum*, quod hic in vero *ſenſu indigentiae* & vero *appetitu ſufficientiae* quærendum eſt, quodve *oculum* Dei *ſimpliciſſimum, vigilantiſſi-*

tiſſimum & *adtentiſſimum*, nullo modo fugere poteſt, etjamſi nullum adfuerit *ſignum*, unde innoteſcat.

§. VIII.

Qui, quo diximus modo, cum *Patre* hoc *cœleſti* per *preces quotidianum habet commercium*, is animum ejus paternum in dies clarius ac certius cognoſcere pergit, donec tantam fiduciam erga Eum conceperit, ut, plane ſecurus animi a *diffidentia*, Ejus *providentiae ſe ſuaque omnia committere* poſſit. Regnum Dei ante omnia quærit, cætera ut πρόσθεσιν, *munus ſupererogationis* e manu *Patris* indulgentiſſimi & *Tutoris* beneficentiſſimi certiſſime ſperandum reſpiciens. Quidquid ei faciendum incumbit, id *ſimpliciſſime* facit, ad *rationes actionum finales* a Deo per naturam rerum præſcriptas, non ad *caecutientes hominum opiniones* expendens. Qvando *jejunia* inſtituit, ea non aliter intuetur, ac *remedia adverſus morbos* mentis, aut corporis, tanto abſurdiorem reputans *gloriationem*, quanto clarius perſpicit, horum uſum cauſſam arguere, quæ, ſi rationes recte computentur, *pudoris*, *quam honoris ditiorem praebeat materiam*. Quis ſapiens eum laudabit, qui quavis ſeptimana *terna crapula ternorum jejuniorum* neceſſitatem ſibi impoſuit? Et quamvis *ſobrii* ideo jejunent, ut *ſtimulos* hebetent *pravarum libidinum*, quæ, corpuſculo nimis ſaginato, animum acrius invadere ſolent, hi tamen, inſtitutis ſæpe jejuniis, plus laudis non me-

rentur, quam alii ſæpius ſumto cortice peruviano. Utrumque enim rationem ſui ſufficientem habet in *morbo*. Encomium vero morborum quis unquam niſi ridendi cauſſa conſcripſerit? Eo cæcitatis prolabuntur, qui res *oculo ſimplici* intueri non didicerunt. Quum *malus Phariſaeorum oculus* non verum illum intueretur *finem jejuniorum*, qvem nos in tuenda ſanitate utriusque partis hominis, mentis ac corporis, poſſuimus, ſed officium *erga ſe ipſos* in offiicium *erga Deum* converterent, aliud committebant genus erroris, verum *pietatis ſignum* in *torvitate vultus* quærendo. Tantum enim abeſt, ut *torvus vultus* animum ſignificet, qui *vero & vivo religionis* ſanctioris *ſenſu* imbutus eſt, ut potius certum *fidei defectum* arguat. Qvi vero converſus eſt, qui peccata ſibi remiſſa eſſe, certo credit & ſentit, qui a Spiritu Sancto in omnem veritatem ducitur, qui exemplum intuetur Salvatoris, qui eadem voluptate voluntatem Patris ſui cœleſtis faciebat, qua cibum ſumunt eſurientes Joh. IV: 34 is certe non *torvum* ſed *laetum* prodit *vultum*, quippe quem intimus *gratiae* divinæ *ſenſus* exhilarat. Neque enim *regnum* Dei, quod non eſt *cibus* aut *potus*, ſed *juſtitia pax & gaudium in Spiritu Sancto*. Rom. XIV: 17. in ærumnoſum *ergaſtutum* mutare licet. Simul ac Αββὰ ὁ πατὴρ Marc. XIV. 36. Rom. VII: 15. Gal. IV: 6. non *verbis mente caſſis*, ſed *animo ſenſu pleno* clamare didiceris, torvum vultum non prius oſtendere poteris, quam oblivioni tradideris aureum illud Johannis monitum:

μεί-

μένατε ἐν αὐτῷ, quod ſupra inculcavimus, quodque nunquam nimis inculcari poteſt.

§. IX.

Quod ad *regnum Dei* attinet, quo nihil prius Salvator quærendum eſſe dixit, non aliud *officium oculi ſimplicis* eſt, quam unice *intueri* verba ſapientiſſimi Magiſtri, eaque firma fide *tenere*. Quando de hoc loquitur Salvator de induſtria utitur *verbo quaerendi*, in quo notio *perſpicaciae* & *diligentiae* ineſt, non quod per ſe admodum difficile ſit inventu, ex quo Eum in verbo Dei præſentem habemus, qui *via*, *veritas* & *vita* eſt Joh. XIV. Sed partim quod plerique mortalium in hoc negotio maxima *laborant ſocordia*, aliis *curis* de *quantitate* & *qualitate victus* & *amictus* adeo oppleta habentes pectora, ut curæ de hoc uno maxime neceſſario, *locus plane nullus ſuperſit*, partim quod ceteri, qui ſibi aliquod ſaltem ſtudio regnum Dei quærere videntur, tam multas & varias, *malo oculo* utentes, ad illud ingrediantur *vias*, ut niſi *oculus ſimplex* lucem prætulerit facile pro vera eligi poſſit falſa. Alii tam *latam fingunt viam*, ut *plauſtro omnibus pravarum libidinum* & *ſtultarum cupiditatum impedimentis onuſto pateat*, quam quidem dementiam eis tribuere non dubito, qui ideo ſe vera membra regni cœlorum videri volunt, quod non ſunt *Haeretici*, *ſed veram & ſanam ore profitentur religionem*. Hi prorſus obliti ſunt effati Salvatoris,

qui

qui aditum ad regnum cœlorum non niſi per *arctam viam* & *anguſtam portam* patere docuit. Hanc doctrinam multi tam *abſolute* interpretantur, ut eam ne quidem conentur ingredi, *relative* vero eſſe intelligendam non puto a veritate alienum eſſe. Quamvis enim per *foramen acus intrare nequeat camelus, intrare tamen poteſt* FILUM. Si omnem *propriae juſtitiae tumorem exueris & nudus intrare* conaris, ingrediendi difficultatem invenies nullam. *Unum Chriſti meritum pro vehiculo* eſt, quo in hoc regnum ſine omni difficultate intrari poteſt. Interea omnibus iter facientibus hunc ordinem obſervare neceſſe eſt, ut ne *currum ante & jumentum poſt incedere jubeant*, quam ſtultitiam ii committunt qui *bona opera* prius præſtare ſatagunt, quam *principium operandi, fidem*, adepti ſunt.

§. X.

Unum adhuc ſupereſt, ut quid oculus ſimplex in *Eleemoſynis* intueatur, videamus. Scire itaque licet, hoc nihil eſſe aliud, quam *unum illud, quod oculus Dei ſimplicisſimus intuebatur, cum nobis daret donum omnium donorum pretioſiſſimum, filium ſuum unigenitum*, nimirum *ſolam* rogantium INOPIAM. Qui aliud intuetur, quodcunque fuerit, is *malo utitur oculo*, quod Salvator tam diſerte docuit, ut de hac re nihil ulterius dicere neceſſe ſit. Quum omnia quæ habemus, minima maxima, proprie loquendo *non noſtra, ſed Dei ſint bona*, quippe quo-

quorum nos non tam *poſſeſſores*, quam *diſpenſatores* ſumus, neceſſe eſt, ut *Eleemoſynas* non niſi ex *ipſius voluntate* erogemus. Gravis igitur quæſtio eſt, *quomodo nobis de voluntate Dei in quovis caſu conſtare poſſit.* Fruſtra hic in conſilium vocabis *philoſophos*, qui quemlibet *caſum individuum* infinitis circumſtantiis involutum eſſe docent. Prius vero quam finitus intellectus infinitas circumſtantias examinare certoque expendere poſſit, ad *kalendas graecas* perveniendum eſt. Quis igitur hunc *defectum philoſophiae*, qui in ſexcentis caſibus idem eſt, ſupplebit? Ego quidem nullum alium ſcio præter Eum, qui nobis ad hoc datus eſt, ut *nos in omnem ducat veritatem* Joh. XVI: 13. Sermo Euangeliſtæ eſt de *Spiritu veritatis*, quem v. 7. παράκλητον, *advocatum auxilliandi cauſſa*, vocaverat. Hunc Salvator abiturus ad Patrem pollicebatur, ſe ſuis miſſurum. *Promiſſis quoque ſtetiſſe, certum eſt.* Nec ſolis Apoſtolis hic Doctor & Monitor datus eſt, ſed omnibus vere fidelibus, quare S. Johannes ad Chriſtianos ſcribens diſerte adſerit: καὶ ὑμεῖς χρίσμα ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οἴδατε πάντα. I Joh. II; 20. Quamdiu Chriſtiani ſumus, tamdiu hoc χρίσμα habemus. Quodnam vero ejus officium ſit, docet Apoſtolus paulo infra: καὶ ὑμεῖς τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ' αὐτοῦ ἐν ὑμῖν μένει, καί οὐ χρείαν ἔχετε ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς· Ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, καὶ ἀληθές ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι ψεῦδος· v. 27.

Quomodo hic Præceptor & Monitor ſua præcepta & monita diſcipulis communicet, probe norunt quotquot Eum audiverunt præcipientem & monentem, ſive *inflatum*, ſive *inſtinctum*, ſive *inſpirationem*. Sive *ſuggeſtionem* dixeris, perinde fuerit, modo probe caveas, *ne quid fanatici notionibus vocabulorum admiſceatur*. Atque ita de Oculo ſimplici ejusque ratione intuendi veritates, pro ratione virium, ruditer commentati ſumus. Det Deus Optimus & nobis & vobis, Lectores, ut hoc *Oculo* ſemper utamur, in Sui Nominis gloriam & noſtram aliorumque ſalutem!